

V. *Sitio*. Ades, hic gulose, et primo, expende sitim Christi; cujus vehementiam colligere possumus primo ex Christi contestatione. Nisi enim ingens ea fuisset, mentionem de ea non fecisset, qui de cæteris tormentis nihil conquestus est. Secundo, ex eo, quod acetum, potum utique ingratum, sibi oblatum accepit. Tertio, ex effusione totius sanguinis, unde maxima sitis gignitur. Cujus exemplum esse potest Andronicus imperientis, qui ab Isaacio Angelo victus, et post mille injurias dextera truncatus atque inter duas columnas pedibus suspensus, gladiis perfossus jam pene exsanguis, adeoque sitibundus mutilatam dextram ægre admovit ori, calidum ex ea sanguinem, ut putabatur adhuc stillantem, exsucturus, Nicetas ad annum 1185. Quanta ergo Christi sitis esse debuit, qui tot sanguinis effusionibus penitus exhaustus erat? Quando igitur videmus sitientem in cruce Christum, qua fronte inebriari et helluari possumus? Legimus Rudolphum imp. aquæ penuria cum exercitu laborantem, cum esset allata ei hydria sicera plena, noluisse bibere: *Ego enim*, dicebat, *exercitui, non mihi sitiebam*, *En. Sylv. l. III. comment. in res gest. Alph.* Similiter Alphonsus regem, cum ei magna militum fame panis unus cum raphano missus esset, recusavit dicens, non decere imperatorem jejuno exercitu manducare, *Panorm. l. III. de reb. gest. Alph.* Itaque si non decet imperatorem, sitientibus vel esurientibus militibus, bibere vel edere: qua ratione decet nos inebriari, et videre Dominum nostrum siti laborantem?

Secundo, expende sitim pauperum, in quibus tamquam in membris suis sitit Christus, et quidem da tantum, quæ tu prodigas et perdis. Vide num æquum sit, ut alius quidem esuriat, alius autem ebrius sit? Ut quis epuletur quotidie splendide, Lazaro autem præ foribus jacenti micæ mensæ neget? Cogita ergo clamare Christum in membris suis: *Sitio*, cum pauperes intueris; his enim potius quam sibi silivisse eum credo, quemadmodum supra de Rudolpho diximus. Alioquin non dixisset: *Sitivi et non dedistis mihi bibere, etc. quia quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Cum S. Ignatius societatis Jesu fundator Venetiis in foro S. Marci pernoctaret, Marcus Antonius Trivisanus senator nobilis vocem audit increpantem: *Ergone tu in lecto molli quiescas, et famulus meus noctem sub dio traducat?* Ad quam vocem illico surgens invenit, eo, qui vocaverat, dirigente, Ignatium, et hunc interpretans esse, quem vox commendarat, domum deductum hospitaliter habuit, *Nicol. Orlandin. p. I. hist. s. J. lib. I.* Ita et te alloquitur Christus, si tu bene ha-

beas, pauperes vero negligas: *Ergone tu cutem cures, et servi mei esuriant? Tu inebrieris et illi siti pereant?*

Tertio, cogita sitim damnatorum. Si enim Christus innocens tanta siti pressus, et insuper felle et aceto potatus est: qualis illa sitis et potus erit, qui ebriosis paratus est condemnatis ad infernum? Non tacuit eum Moyses, cum Deut. XXXII. dixit: *Uva eorum, uva fellis et botri amarissimi, fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile*. Quod si ibi nulla potius amaritudo, sed sola sitis æterna foret, qualem epulo ille sensit; annon id horrendum foret? Et si ea sitis tantum, quam Christus in cruce per tres horas pertulit, perpetua ibi foret, nonne id satis foret? Sed ne dubita, si lignum hoc virens et Deo conjunctissimum ita arsit siti, quomodo ardebit aridum et a Deo abjectum?

VI. *Consummatum est*. Audi tu avaræ. Quid sibi vult hoc verbum? Primo, consummatum est iter laboriosum peregrinationis Christi quæ quidem aspera fuit, sed brevi tamen finita et ingenti fructu compensata. Secundo, consummatum est pretium redemptionis, quod tamquam fidejussor pro hominibus Deo exsolvit. Tertio, consummatum est tempus tenebrarum, quod concessum erat Judæis ad vexandum Christum, ita vicissim, o avaræ, licet ingentem auri summam tibi comparaveris, brevi tamen dices: *Consummatum est iter meum, quo sub sole studiosissime et heu frustra laboravi! Consummatum est illud pretium, quo plurimas possessiones et omnis generis delicias mihi comparavi; consummatum est illud tempus, quo oppressi pauperes usuris et exactionibus. Et quale iter nunc ingrediar? Iter infelix et omni calamitate plenum. Et quale pretium ibi pendam? Animam propriam dæmonibus. Et quod tempus me expectat? Nunquam consummandum. Exultavit ad horam dives ille qui dicebat: *Anima, habes multa bona, etc.* sed cito audivit: *Stulte hac nocte, etc.* Luc. XII. Exultavit ad horam Judas avaritiæ mancipium in luero paucorum nummorum, sed cito crepuit medius et jam 1700. annis cruciatur in gehenna. Audi Baruch. cap. III. *Ubi sunt qui argentum thesaurizant et aurum? In quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum, etc. Exterminati sunt et ad inferos descenderunt.**

Charinus avarus quidam diaconus erat, qui cum mensam B. Epiphanius episcopi Constantiæ in Cypro, cum aliis clericis assideret, contigit ut corvus ter quaterve crocitaret. Rogat ergo Charinus, quid hæc corvi vox portendat? Respondit S. Epiphanius: *Charinum diaconum moriturum, quippe quem Deus punire intenderet. Nec fefellit*

conjectura. Mox enim lecta gratiarum actione, apoplexia tactus Charinus domum a famulis est delatus, maneque mortuus. Refert discipulus S. Epiphanius Joannes in ejus vita apud Sur. 12. maii. Itaque corvus ille occinuit Charino flebile: *Consummatum est.*

VII. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Disce serve piger. Primo, quodcumque potest manus tua instanter operari usque ad ultimum spiritum, quia nec ratio, nec scientia, nec opus est apud inferos, quo tu properas. Aspice Christum quomodo in extremis positus magna voce clamet et animam suam Patri commendet. Idem iisdem verbis fecit S. Basilius morti jam vicinus, ubi etiam non cessavit docere circumstantes, Nazianz. orat. XX. Refert Moschus in prato spiritali, c. V. religiosum quemdam negligentem, tandem magnum assumpsisse fervorem; qui rogatus causam dixit: *Modo moriturus sum*. Verbo respondit eventus, siquidem post tres dies mortuus est. Idem fecisse sanctos viros testantur eorum gesta; quod nimirum eo ardentius cucurrerint in stadio, quo proprius ad metam pervenerunt: quemadmodum et cursores equorum magis agitant equos, cum meta sit vicinior.

Secundo, disce negotium animæ tuæ fervide et serio agere, sicuti Christus in hoc verbo omnes intendit nervos ut voce magna clamaret, quia nimirum de re summi momenti perorabat: *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Et tamen heu pro corpore, pro cibo, pro nummo curritur, sudatur, ligatur: animæ vero negotium obiter tantum peragitur, velut examen conscientiae, confessio, communio, satisfactio, et opera bona.*

Tertio, disce totam vitam et omnes actiones tuas ita instruere, ut bene et christiane moriaris, adeoque creatori tuo a quo spiritum accepisti, eundem reddas. Hic finis et hic scopus est vitæ nostræ: hoc unum nostrum esse negotium debet, quod serio agendum monet apostolus I. Thess. IV. *Rogamus vos fratres, inquit, ut vestrum negotium agatis*. Græce, *ut res proprias agatis*. Plurimi aliis serviunt et seipsos negligunt: plurimi aliena tractant, quæ ad propriam eorum salutem nihil faciunt: ad propria non attendunt, quomodo nimirum commendent animas suas fidei creatori, ut loquitur S. Petrus, I. Petr. IV.

Igitur auditores, quando nostrum aliquem exagitat spiritus malus et ad vitium aliquod horum incitat, sumat is quam primum citharam hanc in manum et occinat illi hymnum seu verbum Christi vitio illi oppositum. Fugiet enim

spiritus malus, et nos refocillabimur ac levius habebimus; quod nobis largiatur Citharædus ille, qui hodierna die in cithara crucis extensus septem illos dæmones expulit ab orbe

CONCIO VIII.

MYSTERIA PASSIONIS DOMINI SINGULATIM
EXPONUNTUR.

§ I. — EGRESSUS CHRISTI DE COENACULO
AD MONTEM OLIVETI.

I. Post cœnam hymnum dicit. — II. Egreditur de cœnaculo. — III. Assumit discipulos. — IV. Transit torrentem. — V. Venit in villam Gethsemani. — VI. Venit in montem Oliveti. — VII. Intrat in hortum.

THEMA.

Hymno dicto exierunt in montem Oliveti.
Matth. XXVI.

Tametsi tota Christi vita plena est mysteriis et altissimis necnon saluberrimis doctrinis Dei gloriam amplificantibus hominique manifestantibus, multo tamen maxime ejus passio. Hic enim est ille botrus Cyprici qui in passionis torculari expressus, plurimum saporem dedit. Hoc granum sinapis, quod contritum maximam suam vim exercuit. Hic ille sponsus, cui dixit architrachelinus: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, et tunc id quod deterius est; tu autem servasti bonum usque adhuc*. Homines plerumque initio fervere in studiis suis solent, postea languescunt: sed non ita Christus, qui quo magis ad mortem accessit, tanto præstantiora opera edidit tantoque majora virtutum specimina et documenta nobis tradidit ac reliquit. Hoc itaque vinum nos delibare contendemus in præsentiarum.

I. Post cœnam et ante egressum hymnum dixit. Primo, ut demonstraret alacritatem suam et promptitudinem patiendi, adeoque se gaudere quod hora passionis adveniret, quam magno desiderio desiderasse se dixerat. Hæc enim hora illa erat, quam ut videret, exultavit Abraham: quam totus mundus expectabat. Sed quam nos dissimiles Christo sumus, qui ipsius causa tam ægre aliquid patimur! Ad initium quadragesimæ quando jejunandum: adveniente hebdomada sacra quando peccata expianda, multi consternantur. Quid facerent adveniente persecutore et tyranno vitam sibi erupturo?

Secundo, ut doceret homini justo potius gau-

dendum quam lugendum esse, cum morti appropinquat. Quemadmodum enim cyenus morti cum cantu obviare dicitur : sic etiam homo candidus et bonæ conscientie facit, uti S. Franciscus qui sub illo versu Ps. CXLI. *Me expectant justi, donec retribuas mihi*, obiit, et S. Nicolaus in illis verbis Psalm. XXX. *In manus tuas commendo spiritum meum*. Et S. Ludovicus rex Gallie in illis verbis : *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum*. Ut in eorum officiis.

Tertio, ut doceret post mensam gratias agere. Ne videlicet simus instar porcorum, qui nunquam attollunt oculos ad arborem, unde glandes eis decidunt. Bruta non possunt agere gratias, nec debent quia non sibi sed homini nutriuntur : et homo quia sibi vivit, maxime obligatur.

II. Egressus est e cœnaculo et civitate. Primo, forte ne hospes propter ipsum quid incommodi pateretur, si in cœnaculo caperetur. Quod exemplum secutus est S. Thom. Cantuarens. episc. qui regem Angliæ Henricum fugiens et ad Pontiniacum monasterium se recipiens, ultro inde discessit, ne Cisterciensis familia sui causa mali aliquid pateretur.

Secundo, ne ipsius causa pax publica turbaretur, si in civitate comprehenderetur. Jam enim antea metuebant pontifices, ne ob comprehensionem tumultus fieret in populo. Multi absque dubio in civitate pro ipso stetissent et cum Petro gladium exemissent. Docet igitur quidvis faciendum et tolerandum, ut pax publica non turberetur. Hinc illud Jonæ prophetæ, cap. I. *Si propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare*. Sed plusquam Jonas Christus, qui ne seditio propter ipsum oriretur, ipse morti obiit. Idem exemplum secutus est S. Gregor. Nazianzenus, qui cum propter ipsum dissidium inter episcopos oriretur, verbis Jonæ usus : *Si propter me, inquit, orta est hæc tempestas, dejicite me in mare, ut vos jactari desinat*. Ut in ejus officio.

Tertio, ne Judæis calumniandi se occasionem præberet, si in cœnaculo deprehenderetur. Si enim cum nihil occasionis habebant, vocabant eum hominem voracem et potatorem vini : quanto magis id nunc egissent, quando omnem movebant lapidem ut causam invenirent ipsum calumniandi et accusandi? Docet ergo nos in externa conversatione irreprehensibiles exhibere : *Ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*; uti præcipit Paulus Tito, ad Titum, cap. II.

III. Assumpsit secum discipulos suos : primo, ut essent testes eorum quæ acturus et passurus erat. Nihil enim in tenebris vel sine arbitris facere solebat Dominus : quin potius dicebat :

Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, quod ir aure auditis, prædicate super tecta. Publicarum ergo personarum acta publica esse convenit : quia de causa Agesilaus Lacedæmonum princeps in templis deorum hospitari solebat ut ejus acta omnibus manifesta essent. Livius etiam Drusus cum domum in palatio ædificaret et architectus diceret ita se structurum ut libera ab arbitris et omni aspectu esset : *Quin tu potius, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quid quid agam ab omnibus inspicere possit*, Tymp. in spec. magistr. p. I. sig. XXXV.

Secundo, ut sic etiam discipulos suos in campum educeret, non quidem ad pugnandum cum ipso, sed ad pugnam ejus spectandam et pugnandi rationem perdiscendam, ipsosque animandos tamquam et ipsos aliquando in arenam descensuros : *Sicut aquila nimirum provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, etc.* Jacobabant Petrus et alii discipuli omnes suam magnanimitatem : *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Matth. XXVI. Igitur voluit eos Christus educere ad campum, ut viderent propriam imbecillitatem, etc.

IV. Transivit torrentem Cedron. Primo, forte ut hoc ultimum ejus solatium foret; (postea enim purissima incepit tristitia) dum torrentem transiens videbat passionem suam fore instar rapidi torrentis, repente inundantis, cito tamen desituri, demum totam Ecclesiam rigaturi et lætificaturi, juxta id Psalm. XLV. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. Prædictum hoc a Davide, Ps. CIX. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*.

Secundo, ut exemplo suo nos doceret, prius transeundum esse Cedron crucis et tribulationum : si ad montem Oliveti, id est, ad gloriam pervenire et in die resurrectionis capita nostra exaltare, seu læti et hilares comparere velimus. Ita enim semel statutum est : *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, Act. XIV. Ad quod animat nos exemplum Christi sicut exemplum Joannis ducis Macchabæorum, quando ad torrentem transeundum videns trepidare populum, ipse *primus transfretavit*. Animavit enim milites, ut et ipsi post eum transirent, I. Macchab. XVI.

Tertio, apte etiam per Cedron transiit, hoc est tenebras; quod is torrens in umbrosa et tenebrosa valle deflueret; quia tunc incipiebat hora et potestas tenebrarum, in qua omni solatio cærens ingrediebatur mortis dolores, et vallem omni consolationis luce privatam. Unde torrens Cedron, recte horam tenebrarum representat, horam quidem qua torrens, tenebras qua Cedron.

V. Venit in villam Gethsemani. In villam Geth-

semani. In villam quidem, forte quia mala nostra villicatio causa erat, ut ipse nostra exsolvere debita morte sua deberet, vel quia et Adam de paradiso in agrum ejectus est.

In Gethsemani vero, hoc est, villam a pinguedine vel oleo nuncupatam : quod sterilem illam villam oleo sanguinis sui in agonia expressi, impingaturus et fecundaturus esset : figurate totum mundum.

VI. Venit ad montem Oliveti in cujus radice villa prædicta erat, primo, ut ex eo loco inchoans passionem suam, primam et primariam ejus causam nobis demonstraret, Dei scilicet misericordiam quæ per oleum designatur. Hic enim est Samaritanus ille, qui misericordia motus super humanum genus gravissime vulneratum, descendit de majestate sua et oleum infudit vulneribus ejus.

Secundo, ut sciremus morti vicinos, etiam si poenitentia et eucharistia sacramentis muniti sint, bonamque conscientiam habeant, ita ut hymnum canere queant, nihilominus ascendere debere ad montem Oliveti, hoc est, ad Dei misericordiam potius quam ad justitiam : tum quia omnia opera nostra valorem ex se non habent, sed ex Dei misericordia et gratia per Christi passionem nobis impertita et per sacramenta applicata : tum quia incerti simus an opera nostra usquequaque perfecta sint.

VII. Intravit in hortum, qui erat in illo monte. Primo, quia is locus Judæ notus erat et captioni aptus, utpote clausus et instar carceris, ut sic demonstraret suam innocentiam et patientiam promptitudinem, quod latebras non quæreret, sed in loco noto comprehensores expectaret. Bone Salvator, quid debemus tibi, qui ex una parte mortem crudelissimam tibi paratam videns, trepidas et horres, ex altera vero, nostri amore victus non fugis, cum posses; sed ultro te mori offers, et velut ovis ad macellum pergis?

Secundo, quia erat orationi conveniens. Unde docet secretum quærere ad orandum, maxime post s. communionem, vitare hominum consortia et sæcularia negotia, in oratione et cordis solitudine se occupare.

Tertio, quia in horto humana natura perditam fuit, in paradiso scilicet : in horto igitur et quæranda. Sed ille erat hortus voluptatis; hic mœstitia et doloris, quia quod nullo labore perditur, multo est quærendum. In horto Adam extendit manus ad vetitam arborem : in horto igitur Christus manibus ligatus est. In horto erexit se Eva ad decerpendum ex arbore pomum : in horto isto depressit se Christus usque ad terram

et procidit in faciem suam. In horto Adam comedit escam : in horto Christus eandem per sudorem sanguineum expellere debuit. In horto Adam se abscondit; in horto Christus seipsum hostibus prodidit. Et hic est ille fructus pomi vetiti de quo sponsa Cantic. V. *Veniat dilectus meus in hortum suum, inquit, et comedat fructum pomorum suorum*. Et mox respondet : *Veni in hortum meum, soror mea sponsa : messui myrrham meam cum aromatibus meis*. Et fructus enim pomi illius quis erat, nisi mors, nisi spinæ et tribuli, nisi sudor vultus, nisi myrrha et aromata, nisi dolor et tristitia? Hunc gustavit Christus in horto Oliveti : *Vidit Eva quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile*, Gen. III. Sed non vidit amaritudinem et horrorem fructus illius. At vidit in hoc horto Christus, quod fructus illius ligni, mors esset acerbissima, et horrenda visu. Ita nimirum peccatum ipsum voluptatem aliquam habet : sed fructus peccati acerbiter sine comparatione majorem, ut experiuntur peccatores partim in hac, partim in altera vita, quando eam voluptatem tam caro solvere debent.

Quare auditores, obtestor vos per Christi viscera ut custodiat vos a peccatorum illecebris et noxiis voluptatibus; satis amaritudinis Christo propinavimus; tempus est ut desinamus. Parcamus saltem nobis ipsis ne fructum peccatorum aliquando degustare cogamur. O si quis damnatorum referre nobis posset, qualis sit peccati fructus, quem illi experiuntur! O quantum horreremus? Quæramus ex reis qui supplicii afficiuntur. Quid vobis profuit latrocinium, furtum, proditio, homicidium, etc. quem fructum inde habetis? Quid putatis responderent? Rota, patibulum, ignis, forcipes igniti, gladius, amaritudo, angustia, desolatio, horror, trepidatio, cruciatus, etc. fructus sunt peccatorum nostrorum. Satis igitur nobis sit, quod fructus illos licet alienos Dominus perceperit, ne et nos eodem percipere cogamur.

§ II. — MOESTITIA CHRISTI IN HORTO.

I. Relinquit ad villam octo discipulos. — II. Assumit in hortum tres. — III. Cœpit contristari. — IV. Mœrorem suum explicat. — V. Jubet eos sustinere. — VI. Paululum ab eis progreditur.

THEMA.

Tristis est anima mea usque ad mortem.
Matth. XXVI.

De discipulis suis dixit Christus in sermone illo quem habuit post ultimam cœnam antequam

egrederetur inde ad passionem suam : *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis*, Joan. XVI. Sed cur hoc Domine non potius dixisti de te? Tu enim es proprie illa mulier; quod nimium quantum expertus es in horto Oliveti, quando hora partus tui seu passionis incepit. Tunc enim tu, qui gaudium es angelorum, cœpisti contristari et mœstus esse, adeoque omni consolatione destitui, ut quo te verteres, non haberes. Nimirum hic videmus etiam Evæ maledictionem in Christum devolutam, ut cum ingenti dolore nos in lucem gratiæ edere debuerit. De pulchra illa Rachele legimus, Genes. III. quod maximo desiderio prolem efflagitarit. Dicebat enim viro suo Jacob : *Da mihi liberos, alioquin moriar*. Sed quanto ei stetit liberos concepisse? Cum enim alterum filium paritura esset, ob difficultatem partus periclitari cœpit; unde egrediente anima præ dolore et imminente jam morte vocavit nomen filii sui *Benoni*, quod est filius doloris mei. Pater vero appellavit eum *Benjamin*, quod est, filius dexteræ, Gen. XXXV. Idem evenit Christo. Desiderio enim desiderabat liberos habere spirituales : sed quando tempus advenit illos pariendi media passione, heu quantum angustiari cœpit! Hinc enim in horto Oliveti, præ doloris vehementia parturientis instar modo huc, modo illuc cucurrit : nunc ad Patrem, nunc ad discipulos dormientes, modo ad ipsos hostes : *Tristis est anima mea*, inquit, *usque ad mortem*, q. d. hæc tristitia, hic dolor in ipso partu mortem mihi affert. Id quod reipsa factum est : dum enim nos spiritualiter genuit, ipse interim obiit, ut merito nos *Benoni*, id est, filios doloris sui vocare potuerit. Sed quia gaudium sequitur partum; idcirco nunc filii dexteræ et Benjamin vocamur; quia nimirum Christus partus sui doloribus de sinistra Patris sui transtulit nos ad dexteram. Nunc quoniam Tobias filio suo inter alia præcepit : *Honorem habebis matri tuæ, omnibus diebus vitæ ejus : memor enim esse debes quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo*, Tob. IV. Idcirco et nos tamquam grati filii in memoriam revocabimus tristitiam Christi Domini propter nos susceptam.

I. Ad villam Gethsemani reliquit octo ex discipulis suis, et ait illis : *Sedete donec vadam illuc et orem*. Primo, ne visa ipsius tristitia insolita offenderentur : siquidem hi cæteris tribus infirmiores erant. Cavitergo Christus, ne pusilli scandalizarentur in ipso. Poterat enim istis subire cogitatio, quasi animum despondisset Christus, nec is esset quem hactenus existimarent.

Secundo, forte ut exerceret illos in patientia, dum ad secretiora sua non admisit, quemadmodum admisit tres alios : docens interim non indignari, si Deus alterum alteri præponat, unius plus, alii minus talentorum et gratiæ donet : sicuti nec discipuli illi indignati sunt, quod se relictis tres alii assumerentur a Christo adeoque sibi præponerentur. Idcirco recte monuit eos Dominus : *Orate ne intretis in tentationem*, nimirum æmulationis imprimis et contentionis de præminentia, in quam alias sæpius incidebant.

Tertio, ut doceret condescendendum esse infirmioribus; dum infirmiores discipulos longius a periculo et hostium conspectu sedere ad villam jussit, fortiores vero secum in locum certaminis eduxit, prope se sustinere et vigilare jubens. Ad hunc modum, nemo ægre ferre debet, si per quadragesimam imbecillioribus detur licentia vescendi carnibus, sanis vero et fortibus negetur, si alius sedere ob imbecillitatem, alius vero fortior sustinere et vigilare jubeatur. Ut enim nemo invidet ægroto, quod is in lecto sedens sumat eucharistiam, cum alioquin alii flexis genibus hoc agere debeant; sic nemo etiam ægre ferre debet, si ob infirmitatem Ecclesia et magistratus aliquibus condescendant, quia ferendo legis oneri pares vires non habent. Scriptum enim est : *Non arabis in bove et asino*; hoc est, non impones æquale pondus forti et imbecillo.

II. Assumpsit in hortum tres sibi magis familiares discipulos, Petrum, Jacobum et Joannem. Primo, quia cæteris, ut dixi, fortiores in fide et Christi delectatione erant, minusque obnoxii scandalo, utpote qui Christi majestatem et gloriam speculati fuerant in monte Thabor, quasi eis diceret Christus : Vos de mea divinitate et gloria dubitare non potestis : ipsi enim vidistis eam in monte, et audivistis vocem Patris mei; non igitur miremini, licet nunc alia forma, mœrore nimirum et afflictione circumdatus vobis appaream; volo enim ut toti mundo contestemini, non tantum quis ego ex me sim, sed qualis etiam propter ipsum factus sim. Itaque magis perfectos ad majus certamen ducit. Jacobus et Joannes jam antea gloriabuntur, se posse bibere ejus calicem; Petrus vero dicebat : *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Secundo, ut essent socii laborum, qui erant et consolationis. Magnam illis gratiæ prærogativam concesserat, dum his solis gloriam suam ostendit : sed eam hic tribulatione compensavit, dum eosdem mœstitia sua afflixit et periculo comprehensionis ac mortis objecit. Ita nimirum solet Deus illos, quos majori extulit gratia, vicissim majori cruce onerare

ac deprimere. Maxima gratia affectit Saulum, quod eum in via proprio ore redarguit et mirabiliter convertit, quod paucissimis fecit : sed tamen subjecit Christus : *Ego ostendam illi quanta eum oporteat pro nomine meo pati*. Ad eundem modum confert aliis nobilitatem et prosperam, aliis divitias, aliis honores, aliis doctrinam, aliis interim innumeris dona ista negat. Nemo inde murmure; si enim sciremus, quot laboribus, curis, molestiis ac periculis Deus illos destinavit, quos adeo dotavit, libenter illis totum id concederemus. Qui ergo ad montem Thabor Christum secutus est, sequatur eundem quoque ad montem Oliveti.

Tertio, ut sciremus, Dei gratiam et favorem esse cum ipso tristari et pati; et Deo gratias agere debere, qui occasionem ab eo accepit, strenue laborandi, et pro ipso patiendi : hæc enim sunt semen gloriæ. Quis neget gratiam factam esse operariis illis otiosis in foro stantibus, quod a patrefamilias ad laborandum in vineam missi sint? Suavius quidem erat in foro stare, colloqui, nova audire et videre, etc. sed non utilius : quia hoc pacto mercedem nullam acceperunt; jejuno stomacho et marsupio domum redire debuissent. Quis neget gratiam esse, si cui ager concedatur arandus, occandus et conserendus? Hoc ipso enim datur et metendus. Quis neget favorem esse, si cui duci facultas datur ab imperatore expugnandi aliquod castellum vel rebellem civitatem? Hoc ipso enim promittitur illi grande stipendium, hostium spolia, magna insuper gloria et spes altioris honoris. Hinc Joannes qui unus ex his tribus erat, pro favore accepit, quod in Patmos relegaretur; sic enim scribit initio Apoc. *Ego Joannes frater vester particeps in tribulatione et regno et patientia in Christo Jesu*. Videns quam apposite regnum collocetur inter tribulationem et patientiam? Vult enim dicere eum qui tribulationem et patientiam habet regnum quoque in medio habere, adeoque nihil magis gloriosum ac regale esse, quam pro Christo pati et strenue laborare.

Accepit autem illos tres, quia tres potissimum conditiones orationem comitari debent. Petrus, id est, firmitas fidei seu fiducia impetrandi id quod petimus vel quid melius. Jacobus, id est, collectio seu lucta (Jacobus enim luctator exponitur) contra ingruentes subinde tentationes et distractiones. Joannes, id est, gratia Dei, ut scilicet orans sit in gratia.

III. Cœpit contristari et mœstus esse, secundum Matthæum; et secundum Marcum, *pavere ac tædere*: et quidem usque ad mortem. Primo, ut se verum hominem ostenderet, passibilem et eis-

dem nobiscum affectibus obnoxium. Cum enim sæpius prædixisset discipulis mortem suam; si absque pavore et doloris sensu eam adisset, existimari potuisset, nihil illi molestiæ aut cruciatu per mortem fuisse illatum : unde et illud consecutum esset ut parum agnosceremus redemptionis beneficium, peccati gravitatem, etc. Parvum enim reputatur, quod parvo pretio emitur : nec adeo magnum quid præstitisset Christus si quæ virtutis tantum sunt, non quæ infirmitatis humanæ, assumpsisset. Unde S. Ambrosius in Lucæ, cap. XXII, ait : « Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. » Et paulo post : « Neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. Debit ergo et dolorem suscipere, ut vinceret tristitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint quam dolorem. » Sic ille. Quod si etiamnum *cum et vultus et verba et res mœrorem significaverint*, (ut notat S. Chrysostomus) *non creditur tamen a nonnullis passio; quidnam dicerent, si ista non essent?* Certe Manichæi dicebant non habuisse eum carnem veram, nec humanos affectus, sed mortem et resurrectionem tantum simulasse. Cerdon et Marcion Christum dixerunt in phantasmate natum et passum. Alii aliis figmentis passibilitatem Christo detraxerunt. Quid fieret, si tam manifestum passionis suæ sensum Christus non explicuisset?

Secundo, ut talis esset modus et ordo satisfactionis qualis et peccati. Peccatum ab animo incipit, (juxta id Domini : *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, etc.* Matth. XV.) et postquam animum delectaverit, postea in opus prodit. Unde apostolus Jacobus, cap. I. *Unusquisque, inquit, tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*. Voluit itaque Christus qui venerat ut abunde et rigide satisfaceret, passionem etiam suam ab animo inchoare, concupiscentiam nostram tristitia sua expiando, et postea corpore luere, donec et ipse dicere posset : *Consummatum est*; scilicet, opus satisfactionis, sicut fuerat peccatum. Unde et mors secuta est, quam peccatum generavit. Vide hic rigorem justitiæ divinæ : quantum enim homo in deliciis fuit, tantum tormenti datum est Christo.

Tertio, ut doceret nos etiam nobis ipsis interdiciere voluptates et ineptas sæculi lætities. Christus enim ab eo tempore usque ad mortem nullam consolationem admisit, sed tristitiam ac mœrorem tantum et ultro quidem. Nam tametsi affectibus humanis obnoxius fuit, ii tamen in ipso non passiones, sed propassiones